

v 00 *fm*

alt. N. 562

Posselius, J. r. m. h. & sch. h.

→

K. VIII. 107



2

ORATIO,
DE STUDIO
SACRARVM
LITERARVM.

IN ACADÉMIA LIPSEN-
SI RECITATA

A
IACOBO ANDREÆ D.
XX. Nouembris,
ANNO
1576.



VVITTEBERGAE
Excudebat Matthæus Vuelack.

ANNO M. D. LXXVII.

Christophorus Cuspius
B. P.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and mostly illegible due to fading and water damage.

JACOBO ANDREAE
Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and mostly illegible due to fading and water damage.

WILHELM
Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and mostly illegible due to fading and water damage.

Handwritten text in the lower left corner, possibly a signature or date, written in a cursive script.



E C C L E S I Æ
CHRISTI MILITAN-
TI IN TERRIS,

D. Nicolaus Selneccerus.

Quid moror? humanæ non est opis, abdita res
Religionis opus, pietatis causa, vigorq, (est
Et falsi rabies prostrata, & pulsa canum vis.
Lux accensa iterum, vox rursus audita Lutheri,
Assertumq, Dei nomen, laus, gloria Christi.
Quis putet? heu denso surgebant agmine tetri
Doctores, fastu tumidi, natiq, repente,
Hic ubi tradiderat pia Christi verba Lutherus,
Mutabantq, Dei verbum, sua somnia verbo
Hausta ex Caluini lacubus præferre studebant.
Et seducebant pueros, iuuenesq, senesq,
Vulgus, & eximio prægnantes nomine, doctos,
Indoctosq, simul: passim conuitia docti
Euomere innocuos in Christi horrenda ministros.
Eheu doctrinæ veræ fundamine rupto:
Nil nisi fastus erat, virus, deceptio, lusus,
Nil recti, nil sinceri, candoris aperti
Non scintilla: sed imperio turba ista superbo
Ista Magistratum sibi subijcere ista volebat,
Decipere, & gyrare pium, summumq, dynastam,
Et patriæ patrem, technis & fraudibus vsa.
Quam scis aula, tibi quàm sunt comperta malorum

Consilia ista, Deus quæ tandem sparsit in auras.
Maxima pars quoq; Doctorum templisq; scholisq;
Errabat tremebunda, silens, digitoq; labellum
Compescens, aut submitbens se fraudibus istis
Ceu muti, quorum vox nulla auditur in urbe.
Et studiosa cohors infecta, & cara iuuentus
Inflammata suum doctorum sæpe furore
Immanes protrudebat sine numine voces.
Et dubitans civis securo pectore verbum
Temnebat, consternato vel corde gemebat.

Quid nisi seditio, multorum & lerna malorum
Expectanda fuit? rabies crescebat ubiq;
Atq; facultatum, quas sic est dicere moris,
Iuncta trium fraus, & paucis permissa poetis,
Audent qui Tytij pœnis & vulture dignum
Sæpe scelus, petulans & dira licentia, nullum
Respicens, nulli parcens omnesq; molestans,
Augebat rixis populos, & regna ducesq;.

Christe Deus, quid tu? tua quidnam dextera?

prorsus
Anne taces? Non sic: vivit tua gloria semper,
Et tua maiestas turgentes punit & odit.
Quis putet? auxiliij cum non est copia terris,
De cœlis fers auxilium, nostrumq; dynastam
Luce tua, flatuq; tuo, motuq; gubernas,
Ut præter rerum seriem, templisq; scholisq;
Iam mutis, & iam trepidis, iam nescio quoniam
Abreptis faciat, quod tanto munere dignum,
In cœlis simul & terris memorabile duret.

Lallus


Laus tibi Gnate Dei, iam respiramus ouantes,
Detectæ sunt iam technæ, fraudesq; malorum,
Consilia & confusa iacent, satanæq; venenum
Contritum est, & turba prius sublimia spirans
Iam nobis subscribit, & hinc atq; inde vacillans
Respicit huc illuc, seruet, facit omnia, ut offam.

Perge Auguste Deo seruire, & dedere totum
Te, tua regna, tuos ciues, tua templa, scholasq;.
Perge Pater patriæ, Christus tibi viua ministret
Robora: perge pij iam scripta sepulta Lutheri
In lucem reuocare, & Christo vindice riti.

Hoc ad opus supplantator tu fortis eundo
Perge Iacobe, dedit cui nomen roboris ille,
Qui simul ostendit cum nomine sæpius omen,
Quod nemo mutare solet, nisi teter & ater.
Hoc ad opus certè diuina lege vocatus
Et Christo serui, & spem pietate corusci
Augusti reple. Christus tibi præmia reddet.
Quid mundus? quid iudicium? quid & inuidiæ vis?
Viuimus in verbo, nobis est omnia verbum:
Verbo stante sumus, stamus, superamus, ouamus,
Et pede calcamus Satanam, Mundiq; furores.
Qui Verbum temnit, verè contemnitur ille,
Nobiscum nunquam minimum vel fœdus inibit.
Qui verbum retinet, nobiscum sentit, & illum
Dicimus esse pium, veræ sociumq; salutis.

A 3

O R A.



O R A T I O
 DE STUDIO SACRARUM LITERARUM,
 IN ACADEMIA
 LIPSENSI.



Non dubito, Rector Magnifice, Comites Generosi, Senatores amplissimi, viri omni doctrinarum virtutumque genere prestantissimi, concio ornatissima vobis vehementer mirum videri, quod hoc tempore, & ex hoc loco me dicentem audiatis, equidem & ego ipse mirari satis non possum. Cum enim novitas alias & rebus et personis gratiam aliquam conciliare soleat, multis tamen fortassis eò minus gratum videbitur, quo magis novum & inexpectatum est. Et si igitur preter hanc, alias quoque causas habuissem quam plurimas, que me ab instituto deterrere potuissent. Una tamen eaque maxima, non modò animum expugnauit meum, sed optimorum quorumque beneuolentiam mihi facile conciliare posse,

Oratio inexpectata.

Sine DEO
duce om-
nia inan-
spicata.

persuasum habeo. Nam vana spes (ut ille
inquit) futiles habent exitus, κενεῶν ἐλπί-
δων χαῦνον τέλῳ. Rectius verò & magis
grauiter Propheta noster: Nouit Domi-
nus, quoniam cogitationes hominum vanae
sunt. Vanitas autem hac conspicitur maxi-
me, cum absq; Deo duce, humano consilio
vel autoritate, sine vocatione legitima, ses-
se negotijs grauissimis ingerunt homines
ambitiosi, amplissima pollicentes, cum re ip-
sa nihil prestent.

D. Iacob;
Andree
legitima
vocatio. Quo minus autem id de me vel cogi-
tare, vel suspicari possint sapientes & boni
(ad hos enim potissimum oratio nostra in-
stituitur, cum omnibus satisfacere ne qui-
dem Deus ipse, in tanta Nature humane
peruersitate queat) me paucis planum fa-
cere posse, confido.

Neg; enim res meae in eas angustias rea-
ductae sunt, ut vel propter necessitatem Rei
familiaris, vel commodum aut emolumen-
tum aliquod ad vos accesserim, Cum, per
gratiam Dei, nihil eorum mihi desit, quae
ad honestam & liberalem sustentationem
meam

meam & meorum requiruntur. Honoris
quoque & dignitatis (quæ eo loco, quo ha-
ctenus fui, nec dum valedixi, maior mihi,
quàm pro meritis, contigit) si quæ in me
cupiditas esset, cogitatio loci huius facile
mihi eximere potuisset. Nemini enim (ut
opinor) aut sane paucissimis ignotum est,
qua ratione nomen meum, sicut aliorum
quoque, qui de Ecclesia Christi ut modestis-
sime loquar, non male meriti sunt, in his
locis deformatum sit. Quod apud omnes
non tam facile eluere, quàm aspergere li-
cet. Calumniare audacter, inquit ille,
semper aliquid hæret. Ea enim est, & tan-
ta etiam in optimis quibusque Nature hu-
mane deprauatio & peruersitas, ut diutius
& facilius malorum memoria inhæreat,
quàm quæ bona predicantur de ignotis, ad-
mittant. Sin valetudinis et corporis mei me-
orumque rationem habere voluissem, nemo,
nisi & rerum mearum et constitutionis cor-
poris, Rationisque victus, cui multis annis
iam inde ab ineunte atate assueuimus, di-
uersissimæ ignarus, pronunciare audebit,

Calumniæ
hærent.

Quae omnia cum minimè à me confi-
eta, sed vestro quoq; omnium iudicio ve-
rissima sint, quis non iure mirabitur, quae
causa me in hunc locum pertrahere potue-
rit? Nam contra leuitatis crimen & stul-
ticiae notam me fortassis breui hac comme-
moratione, vel aliqua saltem ex parte
munitum existimo. Neq; enim me tam
stultum, tam rerum humanarum imperitum
existimetis, quin haec omnia apud me ipsum
examinauerim accuratissimè, & apud quos
vel dicturus & quibus cum conuersaturus
sim, non diligenter mecum expendere?

Mirabilia
opera Dei.

Quapropter ne vos diutius suspensos
detineam, cum vestra admiratione, meam
etiam coniungo, meque mirari satis non
posse, denuo repeto, quod prae expec-
tationem vestram, voluntatem & cogita-
tionem meam, in hunc celeberrimum li-
teratissimorum virorum conspectum pro-
deam. Quae admiratio, me in considera-
tionem solius admirandae sapientiae &
bonitatis DEI rapit, ut cum Psalmista
dicam: DEVS in sancta via tua, quis
Deus

*DEVS magnus, sicut DEVS, Tu es
DEVS, qui facis mirabilia. Memor ero
mirabilium tuorum, & meditabor in omni-
bus operibus tuis.*

*Huic uni & soli tribuo, quod quibus-
dam fortuito aut casu fieri videtur. Is pro
infinita bonitate sua, quae stulta imbecilla
& abiecta sunt, eligit, ut sapientiam mun-
di superbam confundat.* 1. Cor. 1.

*Quod ut studiosa iuventus, in stupen-
da ista mutatione, (quae in oculos omnium
incurrit, & varias plurimorum cordibus
cogitationes excitat) rectè intelligat, pau-
lo altius quaedam repetenda esse duxi.*

*Nemini ignotum est, pulcherrimum
& longè suauissimum consensum in his
Regionibus, post repurgationem Ecclesi-
arum & Doctrinae caelestis purioris in-
staurationem, inter Doctores, usque ad
mortem Diui Lutheri fuisse. Quo nomi-
ne propter clarissimum Iubar exorti So-
lis Iustitiae, non modo harum prouincia-
rum incolae verè beati fuerunt, sed radi-
os quoque suos cum ex his locis, Lumen
diui-* Consensus
Doctōrū
in Scholis
& Eccle-
sijs viuen-
te D. Lu-
thero.

diuinitus accensum, longè lateq; in uniuersum terrarum orbem sparsisset, factum est, ut qui maximè propter loci diuersitatem remotissimi erant: Sinceris Doctõribus harum Regionum flagrantissimo amore pietatis & veræ religionis summo studio, proximi, & animis coniunctissimi essent.

Conatus Hunc pium & sanctum consensum Satanae in tan multis annis, varijs modis, nunc vi aperta, nunc verò astutis & maliciosis consilijs, sed frustra semper, perturbare conatus est. Quibus omnibus sanctæ memoriæ D. Lutherus uis Lutherus, & precibus ardentissimis, & precibus magno spiritu, solius veritatis armis con- & Spiritu firmatus, sese opposuit, ut, ipso uiuo, partim nihil audere, partim nihil proficere potuerint.

conatus
Satanae
repressit.

Non enim presidio aut viribus humanis (quod pseudodoctõribus familiare & consuetum est) sed solius veritatis indubitata professione ingenua, & minimè fucata, pugnavit, & omnes hostes suos feliciter prostravit.

Quæ Lu- Postquam vero hic Heros, (qui sese in-
theri mor- termedium, tanquam murus ut Prophe-
ta lo-

ta loquitur inter iram Dei & nostram in-
gratitudinem opposuerat) è medio subla-
tus est, una cum ipsius morte, Zelus mul-
torum pro veritate constanter asserenda,
remisit, in quam plurimis etiam plane ex-
tinctus est. His homines Novi, neq; animi
magnitudine, neq; sinceritate Spiritus aut
humilitate sancta pares, Ingenij autem do-
tibus non contemnendi, successerunt. Qui-
bus cum Lutherus sordere inciperet, quod res Lu-
theri. pleraq; non latino, sed vulgari sermone,
Rusticis noto, scripsisset, neq; ex Doctorem
veterum Ecclesie, sed sacrorum Bibliorum,
que vulgo plerisq; nota essent, Testimonijs
petitis, sua confirmaret, neq; etiam que la-
tinè exarauerat, ea sermonis elegantia per-
scripta essent, que ipsis saperet, maiorem do-
ctrina & sapientie laudem sese consecutu-
ros, falso persuasi fuerunt, si ex sapientia
Græca, Gentili & veterum Ecclesie Docto-
rum petitis Testimonijs, sua ornarent, &
confirmarent. Vnde factum est, quod idem
Lutherus paulo ante mortem suam, futu-
rum prædixit, & posteritatem contra astu-
tias Satane, grauissimè monuit: Fore in-
quam

Prophetia quam, ut à limpidissimis fontibus scriptu-
D. Luthe- re sacra, denuo ad scripta humana Eccle-
ri impleta. sia & schola deducerentur. Ex quo conse-
cuturum sit, ut illorum authoritas Testi-
monijs scripturae sacrae non modo aequetur,
sed propter humanam autoritatem à sim-
plici veritate S. scripturae recedatur.

Peruersa
docendi
ratio post
mortem
Lutheri
in Scho-
las Eccle-
sias intro-
ducta.

Quae prophetia, (proh dolor) quanta
cum iactura veritatis & multarum ani-
marum eterno exitio est impleta? Non
iam ad Eruditorum Testimonium gravis-
simum prouoco, quibus haec omnia sunt no-
tissima, qui multis ab hinc annis nihil, nisi
Erudite vetusta & Orthodoxa Antiqui-
tatis & Ecclesiae Testimonia in explicandis
praecipuis controuersijs Doctrinae caelestis ar-
ticolis audiuerunt: Sed indocta plebs quoque
suis non iniustis querelis nobis adstipula-
bitur, quae pro concione interdum plures
Poëtarum, Philosophorum, Historicorum
& Doctorum Ecclesiae sententias, quam
Prophetarum aut Apostolorum Testimo-
nia audiuit. Haec magis nota sunt, quam
ut à quoquam negari possint.

Quae

Quae quidem non eò à me commemo-
rantur, quòd vel lectionem antiquitatis
& Doctorum Ecclesiae veterum improbem. Lectio pa-
Eam enim plurimas ob causas Doctori Ec- trum &
clesiae non modò utilem, verum etiam ne- prophano-
cessariam esse, suo tempore auditores no- rum auto-
stros copiose monebo: Aut quòd pulcher- rum non
rimo studio bonarum artium & lingua- improba-
rum, quae ex prophanis autoribus passim in tur.
scholis docentur, quidquam detractum ve-
lim. Quàm enim honorificè de doctoribus
sentiam, qui in hoc genere studiorum, non
parua cum ingenij laude elaborarunt, stu-
diosa inuentus à me docebitur: Cum quo
studio (cum florere denuo inciperet) puri-
tas doctrinae caelestis quoq; mirabiliter re-
nata est: Sed de mille & infinitis artibus Infidiae
Satanae monere volui, quibus non modo di- Satanae in
sciplinas confundere (qua ratione Sophi- confusione
sticen introduxit) sed puritatem doctri- professio-
nae caelestis viciare, & scripture sacrae au- num.
toritatem, qua super omnia humanae
scripta eminent, paulatim minuere cona-
tus est. Habet studium prophanorum
authorum & locum & tempus suum,
suos

Professio. suos quoq. peculiare professores, maiorum
nes in nostrorum sapientia, à reliquis professori-
Scholis piè bus prudenter distincta & separata. In
et pruden. Schola autem Theologica & cœtu Ecclesia-
ter distin. stico hæc vox sonet: Et locutus est Dominus
Etæ. ad Moſen: Factum est verbum Domini ad
Osee: Qui loquitur, Verbum Dei loquatur.
Ex cuius verbi auditu, tanquam organo

Rom. 10. Spiritus sancti, non prophanorum auto-
rum, fides in Christum datur, & confirma-
tur.

Obiectio Et perperam minusq. tempestivè D.
ex scriptis Pauli exemplum producitur, qui Arati &
Paulinis. paucorum aliorum poëtarum versus suis
Epistolis & sermonibus inseruit. Id enim
in loco & tempore fecit, quando illis, ad
quos scripserat vel loquebatur, non pauci
admixti, qui eosdem prophanos autores pro
suis Prophetis & Sacerdotibus adhuc agno-
scebant. Nunc alia Ecclesie in his regioni-
bus ratio est. Nam & Diui Pauli exem-
plo, si hoc tempore in medio Turcarum
Euangelium docendum esset, minimè im-
probandum videretur, si quis ex Alcorano
Testimonia ad asserendam doctrinæ Chri-
stæ

sti veritatem depromeret, quorum plurima
in eo continentur, quibus vanitas ipsius
Alcorani demonstratur, adeoque Turcica
fides & Religio funditus euerteretur: Quibus
in vera fide confirmatis deinceps alia
ratione utendum esset, quando iustissimam
reprehensionem incurreret, qui crebro Al-
coranum, suis auditoribus iam conuersis ad
confirmandam ipsorum fidem inculcare
vellet.

Spero iuuentutem intelligere suam
laudem studio Philosophiae tribui, interim
vero fraudes Satanæ rectè detegi, cuius co-
gitationes omnes eò diriguntur, ut libros
sacros vel ex manibus nostris excutiat, vel
eorum authoritatem minuat, aut cum ijs
prophana scripta misceat. Id quanto cum
periculo Doctrinae purioris conseruanda, &
æternæ salutis coniunctum sit, pijs & pru-
dentes censores facile vident.

His igitur quasi iactis fundamentis
cum magis eruditionis vanæ laudem ve-
narentur, Neui Doctores, quam simplicis
veritatis propagationi studerent, non qui-
dem apertè propter nominis authoritatem

B

sum-

Lutherus summam, Lutheri doctrinam damnare
clam clam ausi sunt, sed clam mordere, & in angulis
natus à paulatim opinionem iuventuti instillare
nouis Do- cæperunt, qua Luthero omnem eruditionis
Et oribus. & Doctrina laudem adimerent. Quem
per contemptum Teutonicum Martinum
quidam eius ordinis homines, quod plura
aut sane plura Germanicè, quam Latine
conscriptisset, appellarunt. Contra verò
Caluini, viri sanè Doctissimi, scripta, pro-
pter ingenij acumen, & sermonis eleganti-
am, maximè verò illa, quibus aperte con-
tra Lutherum pugnavit, studiose commen-
darunt. Et temporis successu (sic permit-
tente DOMINO, ut Mundus ingrati-
tudinis sue pœnas daret, & pijs veterum
excuteret) negotium eò perduxerunt, ut
eo loco, ubi Lutherus vixit, docuit, sermone
ac scriptis aduersus corruptores veritatis
magno Spiritu pugnavit, passim veritatis
hostium, non Lutheri scripta iuventuti ob-
truderentur. Ne autem fraus prius de-
nouorum præhenderetur, quàm vellent, Nomen
Doctorū. Lutheri Magnificum retinuerunt, cuius
Doctrinam iam pridem in corde suo dam-
nauerant,

nauerant, donec inuentus illecebris huma-
norum & fanaticorum scriptorum capta, et
Præceptoribus Nouis autoritate conciliata,
sine metu, apertè erumpere, & quod vole-
bant, publicè profiteri auderent.

His artibus, multis annis, cum non mo- Electo
do harum Regionum, sed etiam longè la- Saxonie,
teq; passim plurimis Ecclesijs & Scholis in- Ecclesie
gens damnum intulissent, qui nomen ab nutritius.
admiranda & imperuestigabili atque in-
comprehensibili virtute & operibus habet,
Mirabilis D E V S, Heroicum pectus &
spiritum Illustrissimi Principis ac Domini,
Domini A V G V S T I Ducis Saxonie
Electoris Incltyti excitauit, vt pro muneris
& officij sui, quod in imperio & his Regio-
nibus gerit, autoritate, his malis, pjs &
sanctis consilijs & actionibus occurreret ac
mederetur.

Neq; verò quisquam existimet, Cels. Cur non
ipsius hac in parte officium non fecisse, temporibus
quod non temporibus prauos hosce conatus depreh-
represserit. Quisquis enim rectè considerat, si noui
quàm Doctores.

quam astute institutum suum dissimulauerint harum Ecclesiarum & Academia-
rum perturbatores, mirari desinet, cur id
non statim deprehendi potuerit, et Ill. Celsi-
tatem eius hoc nomine, facile excusata ha-
bebit, ut interim nihil dicam, in qua autho-
ritate & opinione sincerae fidei fuerint, per
quos Satan longam hanc telam pertexuit:
Qua ratione aliquid humani pati, & deci-
pi potuisset inclytus Heros. De re ipsa co-

Qua astu- gitemus paulò accuratius. Cum enim cor-
tia Sacra- ruptelas doctrine de Cæna Domini, in his
mentario- Ecclesijs magno consensu iam inde à reue-
rum hære- lato Euangelio damnatas, inuohere conati
sis in has essent, nihil minus se velle, astutissimè a-
Regiones puà eos, quibus sincera Religio cordi fuit,
introdu- simularunt: Sed de persona Christi ab ini-
Et a sit. tio plausibiliter disputare cæperunt, idque
tanta veritatis specie, ut, non dicam Prin-
cipes, Comites, Barones, Nobiles, viri po-
litici, omnis generis, sed quidam etiam &
numero non pauci, neque indocti Theologi,
qui per omnia in doctrina de Cæna Domi-
ni cum Luthero sanctæ memoriæ & alijs
sinceris Doctoribus faciebant, & acriter
pugna-

pugnabant, arbitrarentur, nihil vel contra
ipsum Lutherum, vel contra veritatis do-
ctrinam profervi. Quae omnia ingenti nu-
mero Testimoniorum, non modo Orthodo-
xorum Patrum & doctorum Ecclesiae vete-
rum, verum etiam ipsius Lutheri verbis
allegatis, ad decipiendos etiam synceros
homines exornare & stabilire videbantur.

Cui ergo mirum videbitur, à viris po-
liticis non statim animaduersa esse, quae
etiam à magni nominis Theologis non sta-
tim intelligebantur? Accedit alia quoque,
eaque non postrema causa, cum DOMINVS
ingratitude[m] populi punire decreuit,
quis est, qui vnus & solus, nisi eiusdem po-
puli praeeunte pœnitentia, iudicia eius as-
uertere possit? Consilium, inquit, meum
stabit, & voluntas mea fiet. Nec Dauidi
Regi sanctissimo in cor datum fuisset, vt
numeraret populum, nisi prius, quod scri-
ptura testatur aperte, furor Domini contra
populum accensus fuisset?

Et cum non minus in malis, quam bo-
nis τὸ ξίς conspiciatur, quae à diuina sapien-
tia rebus.

*tia determinata sunt, diuina quoque bonita-
 tis in hoc ipso argumento manifestissima
 testimonia conspiciuntur. Prius enim ma-
 nifestari oportuit falsos Doctores, qui citius
 repressi, pro natura Spiritus huius fugiti-
 ui & meticulosi diutius venenum occultas-
 sent, & innocenti iuuentuti suis malis ar-
 tibus instillassent. Quae omnia cum nunc,
 per gratiam DEI, mirabiliter in lucem
 producta sint, minus periculi habent, cum
 omnes veritatem doceri, & qui eius studio
 2. Thess. 2. tenentur, ex illorum laqueis liberari facile
 2. Pet. 2. possint: Qui verò mendacio delectantur,
 eorum nulla iactura sit, cum iustissimo Dei
 iudicio excitentur, postquam veritatis a-
 morem amiserint.*

*Electis
 haereses
 non no-
 cent.*

*Quapropter, etsi vehementer dolendum
 est, pulcherrimum consensum his artibus
 turbatum esse: damnum tamen adeo ma-
 gnum non est, ut Electorum saluti quid-
 quam incommodet, quin potius examen
 hoc, diuina permissione, institutum, nihil
 aliud praestat, quam ut aurum & argen-
 tum à Scoria discernatur, & qui probati
 sunt, manifesti fiant, propter quam cau-
 sam*

sam Apostolus, oportere in medio Eccle-
siae Hareses esse, affirmat.

1. Cor. 11

Neq. vero quisquam existimet, hac per
κόλασιν ad captandam gratiam, à me
dici, à quo vicio sane omnibus diebus vitae
meae, toto pectore, alienissimus fui semper:
Sed officium in defendendo honore p̄ssimi
Principis contra tam atroces insectationes
facere debui, quæ aliqui superioribus annis
nimis diu cunctatum, suoq. officio defuisse
vociferatur: Alij verò nunc minus clemen-
ter, nimis etiam ferociter cum perturbatori-
bus Ecclesiarum & Academiarum egisse,
non modo sermone, sed publicis scriptis ac-
cusant: Cuius rei etiam causam astute in
me deriuare conantur: Quibus magna ex
parte iam abunde satis responsum esse ex-
istimo.

Varia iu-
dicia ho-
minum de
superio-
rum anno-
rum &
præsenti-
bus actio-
nibus.

Quod verò ad seueritatem attinet, Clementia
vehementer miror, homines istos nisi men-
te capti, & errore planè excacati essent,
non modo non videre, quàm nihil habe-
ant, quod iuste reprehendant, quin poti-
us humanitatem cum summa clementia

Electoris
Saxoniae,
erga per-
turbato-
res Eccle-
siarum.

B 4

in

in Illustrissimo pijsimoq; principe coniun-
ctam manibus suis palpate debeant. Equi-
dem tali supplicio affecti sunt perturbato-
res isti infelices, ut optimi quique & de
Ecclesia & Scholis preclare meriti, rude
donati, summi beneficij loco habituri essent,
sibiq; summam gratiam fieri existimarent,
si etiam minus se consequi posse sperarent.
Non enim carceri inclusi sunt, sed liberrime
obambularunt, ad quos etiam omnibus
accessus haecenus patuit, non victus & su-
stentatio necessaria & sufficiens ipsis ne-
gatur, quin cum familia in ocio habuerunt,
quod multis in Scholastico & Ecclesiastico
labore, qui aestum solis & onus diei sustinu-
erunt, negatum est. Num verò hoc repre-
hendendum est, quod munus docendi publi-
cè ipsis negatur? Sed vicissim diligenter
apud se quisque expendat, cui Religio non
est ludus, an Illust. Elector, nisi aliquid
seuerius in eos statuere voluisset, aliter a-
gere potuerit?

Peruersis
Doctori-
bus non
facile fi-
dendum.

Etsi enim scripto confessi sunt, se &
Sacramentariorum errorem cognoscere,
quo imbuti fuerunt, & nunc paucorum
dierum

dierum spacio rectius institutos esse: Quis
tamen est adeò inconsideratus, ut in re tan-
ta, non nisi accuratissime exploratis animis
& voluntatibus aliquid suscipiendum exi-
stimaret? De quibus adeò nihil constabat
certi, ut per uniuersam Germaniam voli-
tarint clandestina schæda, quæ eos constan-
ter in semel concepto & longè lateq; sparso
errore perseuerare, affirmarent. Quæ cau-
sa Electorem Inclytum permouit, ut im-
presso illorum chyrographo perfidiam hanc
refutaret. Varias etiam in optimorum a- Inconstan-
nimis cogitationes peperit, cum tot annis tia nouo-
& consilijs secretioribus hoc unum medita- rum Do-
ti sint & egerint, quod nullo mortis pericu- etorum.
lo ob oculos posito, spacio aliquot dierum
paucorum non modo reuocant, sed etiam
seipsos voluntario silentio, contra illud
Propheta: Credidi propter quod locutus
sum, damnant, qui prius & voce & scripto,
spe brachij secularis, quæ ipsos tamen fefel-
lit, de Ecclesia Christi optimè meritos ini-
quissime, tanquam Ecclesie pestes & Eryn-
nies damnarunt, utinam vero id illos vel
nunc quoque serio agere. Ingenue enim

Ingenua
erroris
confessio,
Deo gra-
ta & Ec-
clesiæ sa-
lutaris.

affirmo, qua in parte vos tacitè omnes te-
stes me habiturum certissimè confido, si ip-
sorum loco, mihiq; conscius essem, quod do-
ctrina falsa, non dico tot millia animorum,
ad quos ipsorum erronea, blasphema, &
contumeliosa scripta peruenerunt, princi-
pio clam sparsa, postea quoque impressa, &
longè lateq; divulgata, sed paucos tantum,
eosq; minimos fideles offendissem, me con-
scientiæ tranquillitate nulla vnquam frui,
neq; quiescere per horam posse, donec solen-
ni & publica reuocatione non modò oris,
verùm etiam scripto instituta, & admoni-
tione sancta eos omnes ab errore reuoca-
rem, & quos vulneraueram, denuo sana-
rem. Perniciosè enim, seipsum amat, inquit
Augustinus, qui, ne errasse videatur, ali-
os in errorem inducit.

Clementia
& patien-
tia Electo-
ris Saxo-
niæ Chri-
stiana.

Id cum neq; factum sit, neq; fiat, quin
potius subinde exaudiantur voces de isto-
rum hominum sanctitate & doctrina, qua
agrè vel Schola vel Ecclesia carere possit, de
iniusta quoq; seueritate, ne quid grauius
commemorem, quàm iniquè viri optimi
preman-

premantur, quis non Clementiam Christiano Principe dignissimam commendaret, qui haecenus tanta patientia usus, eos tam benignè tractavit? Cum minimè ignota sint exempla Sacramentariorum, qui propter Religionis peruersae professionem, iudicio huius Farinae Theologorum, capitis supplicio affecti sint. Neque dubium est, si hic malignus spiritus animos Magnatum plurimorum (quod Deus clementer auertat) occupasset, non minore periculo vitae & fortunarum veritatis assertores illis nouis Doctoribus contradicenturos, quam qui superioribus annis Rom. Pontificis Idolatriam & impietatem damnarunt.

Spiritus
Sacramen-
tariorum
crudelis.

Quae nunc à me commemorata sunt, Ornatissima Concio, vobis omnibus persuasissimum esse cupio, nullo humano affectu, aut odio contra quenquam à me dici. Doleo enim ex animo illorum vicem, quod dona diuinitus accepta, non melius, ad propagationem veritatis, & Ecclesiae communem salutem, contulerint, sed quod non sine summo dolore repeto, pium & Sanctum consensum Doctorum

Doctorem & auditorum in Scholis & Ecclesijs harum Regionum, tam misere perturbarint. Summopere autem necessarium esse duxi, non modo studiosam iuventutem, quæ iudicio de actionibus superiorum annorum suspensa est, de his rebus commonefieri, sed etiam Incltyti Herois Electoris Saxonie pietatem, sapientiam, & summam clementiam contra iniqua & peruersa iudicia vel malorum, vel imperitorum vindicari. Quæ enim passim in vulgus spargantur, non ignota sunt. Eorum vanitatem cum veritatis studiosi intellexerint, non modo pessimo instituto Optimi Principis fauebunt, verum etiam spiritum Sacramentarium ex vanitate adeo manifesta, tanquam Leonem ex unguibus, cognoscere incipient.

Crudele
& impi-
um consi-
liū Beze.

Adam
Neuse-
rus.

Ne quis autem fingere me hæc putet, extat Epistola Beze, in qua de blasphemia Theologorum interrogatus (quorum alter sibi fuga turpissima consulens, nunc in aula Turcici Imperatoris Constantinopoli post abiuratam Religionem Christianam equitem gregarium agit, de altero capitis sup-
pli.

plicium sumptum) si resipiscat blasphemus,
qui errore deceptus, se non blasphemum esse,
sed Deum honorare affirmat, quo supplicio
afficiendus sit? Respondit: Si vere resipi-
sunt, inquit, quod sane velim, quid illis
fuerit accommodatius capitis supplicio, quo
cauebitur, ne, ut isti factitare solent, qui
non ignorantia, sed sola improbitate & ob-
durata malitia in tantis rebus ultro pec-
cant, mox ad vomitum redeant vel seipsis
deteriores euadant? Hac Beza. Quæ ora-
tio, mirum est, si animum hominis, in quo
mica adhuc pietatis aliqua superest, non
vehementer percellat. Venit mihi nunc in
mentem historia, quæ de Iudæo in mari Ba-
ptizato, & post professionem fidei, & acce-
ptum baptismum statim, priusquam ex a-
fferto-
quis liberaretur, suffocato, narratur. Quid
iudicas si in illorum manus perueniremus, &
de nobis facturos? Manducationem enim
Corporis Christi realem, quæ à maiestate
omnipotentia, ex unione personali depen-
det, & non Symbolorum tantum, quæ fit
ore, in sumptione Sacramenti, non modo
Cyclopicum, os impudentissimum appellat,
sed

Asserto-
ribus ve-
ræ doctri-
næ de cœna
Domini
quid à Sa-
cramenta-
rijs expe-
ctandum.

Blasphe-
mia &
crudelitas
Beze.

sed dogma cum pio ore) esse affirmat, tam
absurdum, tam ineptum & ἀσύντακτον, ut
verè illud vocari possit Satanae excremen-
tum (perhorrescit uniuersum corpus me-
um ad tantam blasphemiam) quo ipsis eti-
am iuratisimis hominibus, adeoq; sibi met-
ipsi quodammodo diabolus illudat. Et hæc
hominum monstra (sic synceros Ecclesiarum
nostrarum Doctores appellat) diutius feret
Germania? Principem quoq; Germanum
natura clementissimum hortatus est, ut hu-
ius crudelitatis alijs principibus exemplum
prebeat, quod in occidendis hæreticis imi-
tentur. Quî nam, inquit, stabit hæc fa-
milia, in qua metuit, qui terrere debuit?
Metuuntur quos reuereri Dominum &
Principem suum oportuit. Num verò quis-
quam adhuc est in hoc honestissimo ornatif-
simoq; cætu pijsimorum & literatissimo-
rum virorum adeò rerum spiritualium im-
peritus, qui spiritum homicidij in hoc homi-
ne Caluiniano, classicum canente ad oppri-
mendos rectè sentientes Doctores, non co-
gnoscat? O ter quaterq; beatum Apostolum,
illum ter maximum Paulum, Organum
Dei

Dei electum, quod manus Beza euaserit. Is enim non simpliciter errauit, sed blasphemus, persecutor & violentus fuit. Gratiam inquit, habeo Deo, qui me potentem reddidit Christo Iesu Domino nostro, quia fidelem me iudicauit, ponendo in ministerium, qui prius eram blasphemus & persecutor & violentus. Si enim Salvatorem suum Dominum nostrum Iesum Christum, summè blasphemis vocibus prius petiit, è cælo deturbare, & Ecclesiam non Pharisæis tantum perdere, sed eandem quoq; uno hiatu deglutire potuisset, cum adhuc minas & cædes spiraret, nihil fecisset reliqui. Hic inquam Saulus, si Bezam iudicem habuisset, statim, iuxta tenorem Epistolæ 4 illi dixisset, Saule, vix puto posse te post tantum scelus seriò resipiscere, & simul vitam longiorem optare, quapropter cum blasphemio Serueto statim comburendum censuisset.

Intelligitis vel tandem, auditores ornatissimi, qualis sit Spiritus, qui harum regionum pacem & tot annorum ægrotia inter

Docto-

Sacramen-
tariorum
Spiritus
tenebra-
rum.

Doctores & Professores suavissimam per-
turbavit. Num is est, qui in specie colum-
bae à caelo descendens, piorum animos ita
copulavit, ut esset credentium cor unum
& anima una? An vero Spiritus tene-
brarum & dissensionis, qui in his terris ef-
fecit paucorum annorum decursu, ut vix
Pastor cum pastore, aut cum custode Tem-
pli consentiat amplius? Idq̄, non aperte
in die, quo columbae volare, sed noctu &
in tenebris, quando serpentes reperere solent
effecit. Hac eos cogitare oportebat & se-
cum diligenter expendere, qui Electoris
factum omni laude dignissimum vitupe-
rant & exagitant, perturbatores autem
harum Ecclesiarum & Scholarum Doctri-
nae, sanctitatis, ceterarumq̄, virtutum no-
mine, quasi iniuria eis facta esset, nun-
quam satis commendare possunt: qui con-
tra veritatem aeternam blasphemi, & ad-
versus innocentes ac fidos Ecclesiarum at-
que synceros Doctores enormiter contume-
liosi fuerunt.

Qui

Qui hæc intelligunt, eos serio affici non dubito. Qui verò hætenus vel in contraria sententia, aut animis suspensi & dubij fuerunt, rectius & de actionibus superiorum annorum, & de sua ipsorum aliorumque salute cogitare incipient. Quæ omnia eò commemorare volui, ut non modo optimum Principem Electorem Saxonie, eiusque nomen à crimine crudelitatis contra Sacramentariorum vanissimos, clamores vindicarem, sed vobis quoque perversam, si qua de me concepta esset, opinionem eximerem, quem instigatorem Electorem habuisse publicis scriptis sceleratè mentiuntur.

Quod verò Celsi ipsius inter alios, De vocatione legipio, sancto & salutari conatu, ad scholas tima D. & Ecclesias ab isto pernicioso errore repurgandas uti voluit, cum (meo quoque iudicio) alios & longè doctiores, & in hoc genere studiorum magis exercitatos invenire potuerit, quis est, qui mihi hoc nomine

C

mine

mine iure succensere possit? Nisi forte supra vires me aliquid in me recipere, existimet. Qua in parte confitentem reum habet. Tenuitatis enim & ingenij & virium mearum mihi probe conscius, inuitus sane (ut alias causas quam plurimas silentio prateream omnes) me huc pertrahi passus sum. Sed quid facerem? Num propter quietem priuatam, & ad declinanda odia & pericula, quae mihi innumera deuoranda & sustinenda sciebam, optimo Electori Saxoniae vocanti, & LVDOVICO Duci VVirtembergensi, in cuius potestate eram, & nunc quoque sum, non modo consentienti, sed iubenti & urgenti quoque, reluctandum & resistendum fuit? Infeliciter Iona cessit Propheta, qui cum Niniven ire recusaret, ventrem caeti ingredi coactus est. Fretus ergo non mearum virium fiducia, sed solius DEI bonitate, cuius virtus in infirmitate perficitur, nulla valetudinis aut vitae ratione mei aut meorum habita, non modo optimis & pijs principibus, sed de quo in corde meo certus sum,
DEO

DEO optimo maximo vocanti obtempe-
raui, Facturus, quae per gratiam ipsius
prestare poterò, ut fidem & integritatem
DEO & optimis principibus probem, &
DOMINO euentum commendabo. Non
ignoro ubiquitatis Apostolum me ab illis
appellari, quod mihi, quemadmodum etiam
discursationes meas (sic enim iter me-
um appellant, quod legitima vocatione
susceptum per gratiam DEI feliciter, sed
non sine magnis contumelijs superioribus
annis confeci) nescio cuius criminis aut
sceleris nomine obijciunt. Ego vero sum-
mum hoc ipso mihi honorem à meis viru-
lentis hostibus, etiam contra illorum volun-
tatem, prestari censeo. Lubens enim &
grato animo fatebor, meoq; DEO hoc nomi-
ne cum Apostolo gratiam habeo, quòd
Christus, non modò secundum diuinam, sed
etiam secundum humanam naturam ubiq;
regnans, pro suo siue Apostolo siue ministro
me agnoscat, siquidem nihil dubito, me in
itinere superioribus proximis annis confe-

Conuicia
Sacramen-
tariorum
in D. Ia-
cobū An-
drea.

Successus *ēto mirabiliter conseruatum esse, quod ad*
itineris *propagationem veritatis, Doctrina cæle-*
confecti *stis incorrupta, & conseruationem publicæ*
per Ger- *pacis & tranquillitatis susceptum fuit.*
maniam. *Nisi enim horum annorum actiones, tan-*
quam haustus digestiui præcessissent, tot
tanquam varijs morbis Medicina non
adeo expedita inuenta, neque animorum
consensio tam breui temporis spacio, quod
pleriq; fatentur, secuta fuisset, de qua iam
pridem optimi quiq; propemodum despera-
uerant. Verè enim cum Psalmista dicere
possumus: Misericordie Domini est, quod
non consumpti sumus.

Cum igitur res ita sese habeant, quem-
admodum à me breuiter commemorata
sunt, spero eos, qui hætenus aliter persuasi
fuerunt, non modò de actionibus per Incl-
tum Saxonie Electorem, in his regionibus
susceptis longè aliter iudicaturos, sed mihi
quoq; equiores fore.

Nihil verò noui me allaturum, vel
alienum aut contrarium his, quæ à Diuo
Luthero

Luthero contra omnis generis errores non Doctrina
ante multos annos apertis scriptura sacra in Scholis
Testimonijs firmata sunt, vobis persuasif- & Eccle-
simum esse cupio. Non argutys vanis au- sijs propa-
ditoribus molestus ero, sed omnes ad sim- ganda.
plicitatem fidei reuocare studebo, in qua
vna & sola cor hominis pij in summis con-
scientia terroribus acquiescere potest, cum
omnia humana somnia euanescent. Quae
Oratio ut vobis satisfaciat, per Christum
unicum saluatorem nostrum, oro.

Quod vero ad praelectionem meam Quae expe-
attinet, cum videam, ad Ecclesiae mini- ctanda in
sterium aspirare quosdam minimè idoneos, praelectio-
qui & amplitudinem vocationis & peri- nibus D.
culum animarum summum minus rectè Jacobi
expendunt, visum est principio Epistolam Andreae.
Apostolicam explicare, qua sui officij I.
Pastores rectè commonesieri possunt. Cui II.
adiungam Examen Biblicum, breue, suc-
cinctum & expeditum, ut studiosi ex scri-
ptura sacra tanquam fontibus Israël
de precipuis doctrinae Christianae articulis,
piè,

III.

Ratio do-
cendi in
Schola.

piè, verè, solidè respondere, & erroribus
contrarijs in singulis articulis occurrere
possint. Postremò addam quoque brevis-
simam, eamque expeditam & planam con-
cionandi rationem, ne à Postillis, quas sic
vocant, hoc est, Euangeliorum Enarratio-
nibus, sine iudicio pendeant Pastores, sed
quisque, pro suis donis, scripta Prophetica
& Apostolica rudi populo utiliter & Me-
thodicè proponere possit. Neque enim est,
ut iuvenes prolixos commentarios à me ex-
pectent. Habent illi suum usum, in Eccle-
sia scripti. Ego autem sic iudico, longè ali-
am docendi rationem in scholis esse, quàm
eam, quæ in scribendis commentarijs obser-
uatur. Hic enim brevis, succincta & ex-
pedita ratio locum habet, qua discipuli
mentem & sententiam cuiusque loci scri-
pturae Sacrae facillime assequantur, & quæ
vel ad confirmandam veritatem aut refu-
tandos errores facere videatur, intelligant.

Docta hæc breuitas, ut auditoribus
est gratissima, ita eam longè utilissimam
esse

esse existimo. Sic breui tempore, quibus non datum est diu in scholis harere, plurima audire & discere, & ratione Methodica in paucorum librorum explicatione instructi, deinceps, etiam sine viva voce, ex mutis Magistris, (quod dicitur) ad suam & aliorum utilitatem plurimum proficere, & feliciter in semel suscepto studiorum cursu procedere possunt. Videtur quidem hac puerilis docendi ratio, sed cum eiusdem artificis sit breuiter & copiose dicere, Ego in schola et optimam et auditoribus utilissimam iudico, Siquidem sacrarum literarum Tyrones docemus, non ijs laboramus, qui cum dignitate alijs sacra explicare possunt.

Hec breuiter, ornatissima Concio, commemorare volui, ut intelligatis, me non priuato consilio, aut cupiditate aliqua stulta ad hunc laborem accessisse, sed voluntate DEI, & authoritate Illustriss. Electoris Saxonie, Domini nostri clementissimi huc pertractum esse, à quo inter

alias officij partes, hæc quoq; mihi iniuncta
est, quæ, ut vobis sancta est, ita me pari be-
nevolentia vos amplexuros confido.

De mea voluntate, meisq; officijs,
quæ per exigua sunt, non opus est, multa
polliceri. Ea enim parata erunt omnibus.
Seniores, Doctrina, Rerum usu & pietate
prestantes me filium, ætate pares fratrem,
iuuentus patrem experietur. Cum enim
communis vocatio sit piorum, & nemo sibi
soli, sed omnes alijs viuere teneamur, id
in primis professione Theologum decet,
quod D. Paulus ab omnibus postulat. Ne-
mo quæ sua, inquit, sed omnes, quæ alio-
rum sunt, querant. Neque est, quod nos
superiorum annorum Disputationes mo-
ueant. Etsi enim distractionem ani-
morum in hac quoque schola non exiguam
infelices disceptationes pepererunt, quod
non sine causa dolendum est: Nihil ta-
men dubito, & lectionibus & disputatio-
nibus publicis & placidis ac familiaribus
collationibus, veritate demonstrata, pias
mentes

Spes pie
& sanctæ
concordiæ
non abijci-
enda.

enla

A 3

mentes facile acquie^turas: Quæ res, vin-
 culo Spiritus sancti eò arctius, animos
 coniunget, qui nunc plurimum disiuncti
 videntur, quò magis magnitudinem pe-
 riculi considerabunt, per quod Satan euer-
 sionem Academiarum, pulcherrimè con-
 stitutarum, cum Ecclesiarum irreparabili
 damno meditatus est. Neque adeò in pro-
 fundo Democriti puteo demersa est veri-
 tas, ut erui non possit. Habet enim & Theo-
 logia multo firmiores, quam Mathemati-
 corum Disciplina Demonstrationes, quam-
 vis hæ rationi & sensibus non ita exposita
 sint, quas sola fides capit: Sed quemad-
 modum illi non nisi datis $\kappa\omicron\iota\nu\alpha\iota\varsigma$ & $\epsilon\upsilon\nu\omicron\iota\alpha\varsigma$,
 principijs & postulatis concessis, nihil de-
 monstrare possunt: Sic nos quoque in pro-
 fessione Doctrina cælestis certiora princi-
 pia habemus omnium patrum consensu
 confirmata, ex quibus non difficile est eti-
 am intricatissimas controuersias Ecclesia-
 sticas dirimere, Earumq; veritatem quasi
 ob oculos spectandam proponere, quod in
 controuersia de persona Christi, eiusq; Ma-
 iestate,

Theologia
 suas habet
 easque fir-
 missimas
 demon-
 strationes.

Discrimen de-
 monstra-
 tionum
 Theologi-
 carum.


& Ma-
themati-
carum.


iestate, ad quam iuxta humanam Natu-
ram ad dexteram D E I exaltatus est, om-
nibus, omnibus, D O M I N O dante, pla-
num faciemus, que nobis & fidem & do-
ctrinam de Cœna Domini apertissimè con-
tra infelicem superiorum annorum disce-
ptationem confirmabit.


Quare non est, ut de pia animorum
consensione & reconciliatione in Religione
desperemus, si modò omnibus positis peruer-
sis præiudicijs & opinionibus conceptis, soli
veritati addicti, nos D E O & verbo illius
reuelato, humiliter subijcientes, $\nu\omicron\mu\mu\alpha\ \eta\mu\omega\mu$
in obsequium Christi captiuum ducamus.

Quod ut faciat & perficiat in nobis
Deus æternus, Pater Domini nostri I E S U
Christi, per Spiritum sanctum,
orabimus.









153763


ULB Halle 3
001 507 486




56

AB: 153763







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

ORATIO,
DE STUDIO
SACRARVM
LITERARVM.

2

IN ACADEMIA LIPSEN-
SI RECITATA

A
IACOBO ANDREÆ D.
XX. Nouembris,
ANNO
1576.



VVITTEBERGAE
Excudebat Matthæus Vuelack.
ANNO M. D. LXXVII.

Christophorus Cusinus
B. P.

